



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Christiani Mayer E Societate Iesv, Diarivm
Meditationvm, De Præcipvis Vitæ Christi mysteriis**

Mayer, Christian

Coloniæ Agrippinæ, 1635

1. De Euangelio Dominica. De signis extremi iudicij Luc. 21.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60091)

Dominica II. Aduentus.

2. Hebdomadæ Aduentus.

De signis extremi iudicij. Luc. 21.

I. **Q**uantò gratiosior fuit primus Filij Dei Incarnati aduentus ad mundum saluandum, tantò terribilior erit secundus ad eundem iudicandum. Nam quantò humilior, mansuetior, benignior apparuit in primo, tantò sublimior, iustior, rigidior apparebit in secundo: quod indicant complura signa illum præcessura, quæ si tam horrenda futura sint in cælo, aere, terra, mari, quanto magis horrendum erit ipsum extremum his præsignatum iudicium? de quibus rectè D. Greg. *Multa debent mala præcurrere, ut malum valeant sine fine* *Horn. 35. in Euāg.*
nunciare. Et quia omnia cōsummata sunt, antè consummationem omnia perturbantur, & qui in sanctis deliquimus, in cunctis ferimur: ut impleatur, quod dicitur: Et pugnabit *Sap. 5.*
pro eo orbis terrarū contra insensatos. Quam meritò ergò quisquis hæc credit, deberet cū timore & tremore salutē suā operari, & iugi memoria iudicij cū D. Hieronymo se ad vitanda quæuis peccata,

B 2

ad

ad seriam pœnitentiam, & assiduum proficiendi studium extimulare, quasi auribus suis semper hæc vox insonaret: *Surgite mortui, venite ad iudicium.*

II. Quantò formidabilius erit illud extremum iudicium impijs & reprobis ob infinitam maiestatem, potentiam, iustitiam æquissimi Iudicis omnia scientis & videntis; ob confusionem scelerum suorum toti mundo manifestandorum; ob terribilem, immutabilem, & æternæ maledictionis sententiam; ob horrorem æternorum suppliciorum: tantò optabilius erit bonis & electis ob infinitam potentiam, sapientiam, bonitatem, æquitatem & benignitatem liberalissimi remuneratoris; ob gloriam qua afficientur coram toto mundo; ob spem tam optabilis & immutabilis sententiæ: *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum:* ob desiderium æternorum corporis & animæ gaudiorum sibi preparatorum. Affectus ijdem renouandi.

III. Quantò maiorem impijs hæc signa præcessura metum injicient, tantò maiorem lætandi occasionem bonis afferent, ob spem instantis plenæ retributionis omniū bonorum desideriorum, & operum; perfectæ liberationis ab omni malo culpæ & pœnæ; securæ pos-

sessionis omnium bonorum gloriæ animæ & corporis: quod indicat Christus, *Hic fieri incipientibus respicite & leuate capita vestra, quia appropinquat redemptio vestra.* Quid non facere & pati per hyemem huius mortalis vitæ nos oporteret, vt appropinquante æstate beatæ æternitatis, æternum cum electis exultare liceret?

De electione Matris Verbi incarnandi. II.

I. IN æterno illo sapientissimoq; Sanctissimæ Trinitatis consilio decretum est, vt Filius Dei non modo fieret homo, & quidem mortalis & passibilis, sed etiam Filius hominis, seu vt carnem ex muliere assumeret, non perfectum corpus ex nihilo creatum sibi hypostaticè vniret; atque adeò mulierem haberet matrem in terris, qui Deum habebat Patrem in cœlis: idque ex gratuito infinitæ dilectionis erga humanum genus affectu. 1. Vt flagrantissimum suum erga nos, quibus per omnia voluit assimilari absque peccato, amorem luculentius ostenderet. 2. Vt vtrumque sexum insigni honore afficeret; virum, humanam naturam sibi per vnionem hypostaticè vniret.

B 3

postea